quemquam sacris, neq; ad ipsorum officium pertinere. Quam opinionem ego quod potui conatus sum re-
tundere: fretus illis rationib. Joh. Taffinij quas nuper descriptas ad me misisti: sed pertinax hoc hominum genus est
usque ad aquilam. Petunt ostendi sibi expressum Dei mandatum. Respondeo. Sp. S. mandatum est. ·138·
probavit non manducet 2 Cor. 11. Hoc ajunt Mandatur singulis, non mandatur ~~singulis~~ Ministris. Qui se non
ipsi quoq; sunt homines singuli. Quasi non sitis (inq; ) & verbi & Sacramenti administratores, nisi quatenus
singularum animarum vestri gregis curatores, severissimo Domino rationem reddituri. Verum unde in hanc
rixam incidi? Gratias ago Deo quod mihi sit datum in Scholastico pulvere consenescere. Nam in his regio-
nib. nulla bona conscientia possem Ecclesiæ ministrare. In Schola mihi promisit R. Senatus, & nuper con-
firmavit conscientiæ, Doctrinæ & Regiminis libertatem, Numerum discipulorum majorem: quam nunc nunq;
habui. Haberem eum etiam uberiorem, si nancisci possem Adolescentem aliquem numerandi, scribendiq;
peritum. Bremensium enim pueri, ferè navigationi & negocijs destinantur. Doceo mane syntax: Græcam
cum Demosthenis orat. Nona Dialect. Petri Rami. Prima hora Ciceronis disputationem de optimo
genere oratorum. Ita 4 horis lego nunc, ut olim solebam, neq; quidquam remitto de molestia gubernationis.
Scis qualem convict. habeam. Vivimus (Ajunt) quando ut volumus, non licet. Dedit mihi Deus autor
vitæ, crudam quandam viridemq; senectam, in qua me mors aurem vellicans, non opprimet (spero)
imparatum: quotidie enim eam exspecto. Tu quoq; mi frater spem habes in Deo, multum ejus misericordia
confisus. Groningum Bremensem quem tibi timide commendaram, audio à Doct. Alostano discessisse, quod
equidem indignè fero, & mecum stomachor cujus commendationes plerunque huc pertinent: ut incutiant
aliena mihi peccata pudorem. Instant alioqui apud me tres egregij Tyrones bonarum artium, ut in proxi-
mam æstatem vobis commendentur. Unus jam biennium studuit Rostochij: duo alij Witebergæ. Quid faciam?
sunt à me instituti fideliter: volunt Ecclesiæ servire, fortuna ipsis tam ampla non est, ut in tanta hujus tem-
poris difficultate, sumptib. necessarijs superesse possint. An decet me ijs deesse? Vide quæso vir humanissime
nuncubi ejusmodi bonæ spei adolescentib. in angulo quopiam locus esse possit? Non sicut prorsus inopes: sed
tamen sportula est opus, ut sufferre tantos sumptus possint. Scio quam plurimos esse isthic ejusdem beneficij
petaces: Sed non ex quovis ligno fit Mercurius. Vale Sexto Idus Novembr. 1.5.76 ante lucem Bremæ
puerorum custos amicus tuus perpetuo

Johannes Molanus.

PAX CHRISTI

Video mi frater & vehementer doleo, isthic quoq; bonarum rerum scenam inverti. Vide unius · M. Jacobo [illegible]
Nr. 272) viri virtus quid faciat, quo volunt columine subducto (ut in putri ædificio omnia eodem motu
convulsa corruunt. Rectè Lucanus. Diu stare summis reb. ait, negatum esse. Deus quidem, ut bene-
[= Mscr. ficentiæ fons perennis, benefaciendo nunquam defatigatur: Sed hominum perversitate fit & perfidia,
A. 12: ut ille perpetuus tenor benignitatis diutius ad eosdem promanare non possit. Iniquitates nostræ
(ait Propheta) prohibuerunt bonum à nobis. Verum enim vero, quisquis illius Illustrissimi Princi-
Nr. 261] pis immortalem pietatem ante oculos ponat meliora ominabitur, concludet enim quod tali præside ponet:
per totam ditionem, tot annis disseminatum est CHRISTI Regnum: & radices egit, & corroboratum
est, id non continuo quamlibet turbulenta tempestate concidere aut dissipari posse. Quæcunque à
Patre est plantatio, ea revelli non potest. At vero istum præclaræ memoriæ Principem etiam ~~ut~~
æmuli, tum quoq; cum viveret, fatebantur, divinit. excitatum fuisse, in hoc, ut amputatis cor-
ruptelis in sua Germania, tam doctrina: quam Exemplo plantaret: & latè propagaret Evangelij
sinceritatem. Quamobrem (ut ego quidem confido) si modo maneant Doctores conjuncti, neq; manant
[illegible]ima statim [illegible]tione de fidei constantia dejiciantur, nequaquam futurum est, ut pijs Sacerdo-
tibus suo loco pulsis: (Quod Witebergæ accidit) clamosi Thersitæ surrogentur, & Saxonica Barbaries
in doctrina, disciplinaq; elegantis possessionem invadat. Si quid tamen forte patiamini: humanum
erit, neq; supra vires. Fidelis enim est Dominus. Qui ornavit vos fide: etiam invictæ perseve-
rantiæ dono vos ornabit. Ego quoq; hic affligor: quia rejicere soleo à doctrina de sacra Cœna, ut
alienas à simplicitate verborum CHRISTI: sophisticas determinationes (sic enim vocant)
Essentiale, substantiale, Naturale. Abominari singulas Ideas soleo, quibuscunque tandem Em-
plastris molliantur. Non habent Hypotyposin τῶν ὑγιαινόντων λόγων, quam retineri man-
dat Apostolus tanquam formam atq; animam salutaris doctrinæ. Sed sunt κενοφωνίαι
quib. horribiliter Laceratæ fuerunt Ecclesiæ & Scholæ omnib. temporib.: & nunc quoq; non minus
atrociter lacerantur: quæ nisi jam olim (quod omnes scimus) in possessionem verborum Sacræ
Cœnæ recepta fuissent. Idolum transubstantionis & abominatio consubstantiationis nunquam in
Ecclesia Iesu Christi extitissent, quæ duo maximè mortifera Dæmonia nonne mactant & per-
dunt sine modo & sine misericordia, optimos quosque Fratres nostros & pijssimas Sorores

per

per totum orbem Christianum? Si Dæmones ipsos Ecclesiæ parricidas transubstantiationem dico & consubstantionem detestamur (ut omnium malorum ἀρχὰς) quo quæso consilio, aut qua conscientia determinationem Sophisticam ejusmodi Dæmoniorum parentem sub specie commodæ interpretationis in Ecclesiæ penetralia recipiemus? An vulpes (quod Doctor Albertus dicere solebat) an vulpes cauda resecta, hoc est, idonea interpretatione adhibita desinet vulpes esse? Tales determinationes Dialectici vocant modos, & eas propositiones quorum prædicatis adjiciuntur vocare solent modales sive modificatas: nempe quia tales dictiones prædicato adjectæ determinant, id est, ostendunt, quo modo prædicatum insit subjecto. Ut quum dico Marcus est disputator propositio est ~~prima~~ pura: si addam Marcus est disputator subtilis, erit modificata sive determinata, nec aliud significabit, quam Marcum subtiliter disputare: Ad eundem modum panis S. Cœnæ est corpus Christi enuntiatio pura est: si adjicies substantiale, fiet modificata, neque aliud significabit, quam

rimas panem substantialiter Christi corpus esse. Inveniunt Theologi nostri alias rimas per quas elabantur: sed ut Evangelium non mutat politias: sic sacra Theologia regulis artium vim nullam afferre potest. Clamant me Ramistam, & in Dialecticis plumbeum esse, quod equidem ipsis concedo, & Scholæ terminis circumscriptus, non contendo odiosius extra metas meæ vocationis. At idem non patior conscientiæ meæ sanctam Libertatem perniciosis Sophismatis determinari. Nescio mi frater, unde in hunc sermonem inciderim. Et hora me in Scholam trahit, ut quæ constitueram, omnia litteris mandare non possim. Vale 13 Decemb. a. 76. Bremæ mane ad Lucernam celeriter. Juvenum custos amicus & frater tuus. Saluta ex me Doct. Casparum Olevianum cujus angores vehementer me sollicitant. ~~Johannes Molanus~~. Johannes Molanus

Nr. 223) Pax Christi. M. Henrico Salsburgio et Antonio Langio.

Delectat etiam nunc me dilecti fratres perquam jucunda recordatio suavissimæ consuetudinis, quæ nuper inter nos hic Bremæ fuit. Unitum est in utroque vestrum, & humanitatis artium, & incorruptæ pietatis. Quæ res hominem non prorsus Barbarum, arcanis quibusdam

[: Merc. h. 12: Nr. 267] illecebris allitiunt ad amandum? Quare etsi neque dedi ad vos Litteras, ex quo hinc abiistis, neque a vobis ullas unquam accepi: amorem tamen erga vos meum & benevolentiam conservo cum gaudio, semperque dum vivam conservabo. Consensus in electorum fide, copulavit nos arctius: quam ut aut temporum iniquitas, aut alia ægritudo nos queat disjungere. Omnes hic nos qui dedimus operam ut vobis propter sermonem vitæ gravem contumeliam passis aliquam (ut par fuit) consolationem afferre possemus: ab hoc nostro Coryphæo indigni accepti fuimus, & quidem ego indignissime. Sed nihil hæc tempestas meæ in vos voluntati detraxit, atque adeo hoc inprimis consilio, nihil ea de re ad vos scribere volui, ne quid ex meo malo, dolori vestro accederet, & meus animus asperior fieret talium rerum commemoratione. Certum est enim hoc quidquid est injuriæ patienter perferre donec dies ipsa declaret, quid fœno & stipulis intersit, aurum & argentum. Sic in Apostolo: ἑκάστου τὸ ἔργον ὁποῖόν ἐστι τὸ πῦρ δοκιμάσει. Audio vinis antilogias, istius Scholæ clarissimis Theologis hinc missas esse, & quidem ornatas multorum testimonio. Quod si verum est, inquirite (obsecro) quinam illi sint, qui tales κενοφωνίας sui nominis subscriptione personæ respectu approbare potuerunt. Quum non ignorent a tempore Doct. Alberti Hardenbergi præclaræ memoriæ viri neminem in hac Ecclesia ita loquutum fuisse, ne Flaccianum quidem. Cur stabiliunt dogma novum & ante hunc diem inauditum? Quod (nisi cavent) novas quæstiones pariet nunquam finiendas. Objecit nuper sic loqui Heidelbergicos: respondi, interdum doctis beneque institutis in illo æstu contentionum excidere aliquid posse, quod non continuo pro dogmate sit arripiendum, de quo prolixæ conciones fiant, cujus confirmandi caussa omnes in urbe ordines convocantur. Sed quid moror? Si se vestrorum Doctorum suffragiis communiverit: dictabit & nobis suas quasdam formulas ex quibus graviores motus existent, sicut dictum est olim. ἐξ ἄλλων

νοσοῦσα πολλά. Hæc est hujus temporis contentiosa Theologia νοσοῦσα περὶ ζητήσεις, καὶ κενοφωνίας βεβήλους, quibus rebus passim Scholæ & Ecclesiæ dissipantur. Sed hæc odiosa sunt, valeant. Autumno superiore venit Bremam M. Erasmus Johannis modestus vir & apprime doctus, qui se ajebat vobis olim Witebergæ familiariter usum fuisse. Quum Theologi ~~Marchiani~~ Marchiani patria expulerant abhorrentem ab Heresi Flacciana. Is dies complures apud Marcum nostrum commoratus, voluit tandem a me commendari amicis qui nobis carissimi sunt Embdæ.

Illuc